



Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Homilia XXIV. Habita ad populum in basilica beati Laurentij martyris, foris
muros Urbis, Feria quarta Paschæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

no iscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. Et factum est dum recumberet cum illis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ab oculis eorum. Et dixerunt adinvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes: quia surrexit Dominus vobis, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quae gesta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.



HOMILIA XXIII

Habita ad populum in basilica beati Petri Apostoli, in crastino Pasche.

* ad vobis

IN quotidiana * nobis solemnitate laborantibus paucula loquenda sunt: & fortasse haec utilius proderunt; quia saepe & alimenta quae minus sufficiunt, avidius sumuntur. Lektionis ergo Evangelicae summatim sensum statui non per singula verba discutere, ne dilectionem vestram valeat sermo prolixior expositionis onerare. Ecce audistis, fratres charissimi, quia duobus discipulis ambulantes in via, non quidem credentibus, sed tamen de se loquentibus Dominus apparuit, sed eis speciem quam recognoscerent, non ostendit. Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos intus & amabant & dubitabant: eis autem Dominus foris & praesens aderat, & quis esset, non ostendebat. De se ergo loquentibus praesentiam exhibuit, sed de se dubitantibus cognitionis suae speciem abscondit. Verba quidem contulit, duritiam intellectus increpavit: sacrae scripturae mysteria, quae de seipso erant, aperuit: & tamen quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, se ire longius finxit. Fingere namque componere dicimus: unde & compositores luti, figulos vocamus. Nihil ergo simplex veritas per duplicitatem fecit: sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. Probandi autem erant, si hi qui eum etsi necdum ut Deum diligere, saltem ut peregrinum amare potuissent. Sed quia esse extranei à charitate non poterant hi cum quibus Veritas gradiebatur, eum ad hospitium quasi peregrinum vocant. Cur autem dicimus, vocant, cum illic scriptum sit: [Et coegerunt eum?] Ex quo mirum exemplo colligitur, quia peregrini ad hospitium non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi. Mensam ponunt, cibos offerunt, & Deum quem in scripturae sacrae expositione non cognoverant, in panis fractione cognoscunt. Audiendo ergo praecepta Dei illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt; quia scriptum est: Non audiores legis justificantur. Quisquis ergo vult audita intelligere, festinet ea quae jam * audire potuit, opere implere. Ecce Dominus non est cognitus dum loqueretur, & dignatus est cognosci dum pascebat. Hospitalitatem ergo, fratres charissimi, diligite, charitatis opera amate. Hinc enim per Paulam dicitur: Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam, An-

Rom. 2. b


* ad intelligere

Hebr. 13.

gelis hospitis receptis. Hinc Petrus ait: Hospitales invicem sine murmuratione. Hinc ipsa Veritas dicit: Hospes fui, & suscepistis me. Opinata res est valde, & seniorum nostrorum nobis relatione tradita. Quidam paterfamilias cum tota domo sua magno hospitalitatis studio serviebat: cumque quotidie ad mensam suam peregrinos susciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios advenit, ad mensam ductus est. Dumque paterfamilias ex humilitatis consuetudine aquam vellet in ejus manibus fundere, conversus urceum accepit: sed repente eum, in cujus manibus aquam fundere voluerat, non invenit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte ei Dominus per visionem dixit: Ceteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti. Ecce in iudicium veniens, dices: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ecce ante iudicium cum per membra sua suscipitur, susceutores suos etiam per semetipsum requirit; & tamen nos ad hospitalitatis gratiam pigri sumus. Pensate fratres quanta hospitalitatis virtus sit. Ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab eo suscipi ad convivia aeterna valeatis. Præbete modo peregrino Christo hospitium, ut vos in iudicio non quasi peregrinos nesciat, sed ut propriis recipiat ad regnum, ipso adjuvante qui vivit & regnat Deus in saecula, &c.

Lectio sancti Evangelij secundum Joannem

IN illo tempore: Manifestavit se iterum Iesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilaeae, & filij Zebedaei, & alij ex discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado pescari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in navim: & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto, stetit Iesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Et dixit eis: Mittite in dexteram navigij rete, & invenietis. Miserunt praeter, & jam non valebant illud trahere pro multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli navigio venerunt, (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus: Asserite de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? Scientes quia Dominus est. Et venit Iesus, & accepit panem, & dedit eis, & piscem similiter. Hoc jam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis.



HOMILIA XXIV.

Habita ad populum in basilica beati Laurentij martyris, foris muros Urbis, Feria quarta Pasche.

8. Aug. in Ioan. traht. 122. **L**ectio sancti Evangelij, quæ modò in auribus vestris lecta est, fratres mei, questione animum pulsata, sed pulsatione sua vim discretionis indicat. Quæ enim potest, cur Petrus, qui piscator ante conversionem fuit, post conversionem ad piscationem rediit: & cum Veritas dicat: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro aptus est regno Dei*; cur repetit quod dereliquit? Sed si virtus discretionis inspicitur, citius videtur: quia nimirum negotium quod ante conversionem sine peccato extitit, hoc etiam post conversionem reperit culpa non fuit. Nam piscatorem Petrum, & Matthæum verò telonearium scimus: & post conversionem suam ad piscationem Petrus rediit, Matthæus verò ad telonei negotium non rediit: quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum impliciant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat. Quæri etiam potest, cur discipulis in mari laborantibus, post resurrectionem suam Dominus in littore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulavit. Cujus rei ratio festinè cognoscitur, si ipsa quæ tunc inerat, causa pensetur. Quid enim mare, nisi præfens sæculum signat, quod si casuum tumultibus & undis vitæ corruptibilis illidit? Quid per soliditatem littoris, nisi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia ergo discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant. Quia autem Redemptor noster jam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat. Ac si ipsum resurrectionis suæ mysterium rebus discipulis loqueretur, dicens: Jam vobis in mari non appareo, quia vobiscum in perturbationis fluctibus non sum. Hinc est quod alio in loco post resurrectionem suam eisdem discipulis dicit: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum*. Neque enim cum ipsis non erat, quibus præfens corporaliter apparebat: sed tamen jam se esse cum ipsis denegat, à quorum mortali corpore, carnis immortalitate distabat. Quod illic cum ipsis positus, fateretur non se esse cum ipsis, hoc quoque hinc sita corporis indicat, cum adhuc eis navigantibus, esse se jam in littore demonstrat. Facta est autem discipulis piscationis magna difficultas, ut magistro veniente fieret admirationis magna sublimitas. Qui protinus dixit: *[Mittite in dexteram navigij rete, & invenietis.]* Bis in sancto Evangelio legitur, quia Dominus iussit ut ad piscandum retia mitterentur, ante passionem videlicet, & post resurrectionem. Sed priusquam Redemptor noster pateretur & resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum jubet, sed utrum in dexteram, an in sinistram mitti debuisset, non jubet: post resurrectionem verò discipulis apparens, mitti rete in dexteram jubet. In illa piscatione tanti capti sunt, ut retia rumperebantur: in ista autem & multi capti sunt, & retia rupta non sunt. Quis verò nesciat bonos dexterâ, & malos sinistrâ figurari? Illa ergo piscatio in qua specialiter in quam partem mitti rete debeat non jubetur, præsentem Ecclesiam designat, quæ bonos simul ac malos colligit; nec eligit quos trahat, quia & quos eligere possit igno-

S. Greg. Tom. I,

A rat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem facta, in solam dexteram missa est: quia ad videntem claritatis ejus gloriam, sola electorum Ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere nihil habebit. In illa piscatione præ multitudine piscium rete rumpitur: quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam hæresibus scindant. In ista verò piscatione & multi pisces & magni capiuntur, & rete non rumpitur: quia sancta electorum Ecclesia in continua auctoritate sui pace requiescens, nullis jam disensionibus dilaniatur. Captis autem tam magnis piscibus, *[ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram.]* Jam credo quòd vestra charitas advertat, quid est quòd Petrus rete ad terram trahit. Ipsi quippe sancta Ecclesia est commissa: ipsi specialiter dicitur: *Simon Ioannis amas me? Pasce oves meas*. Quod ergo postmodum aperitur in voce, hoc nunc signatur in opere. Quia ergo prædicator Ecclesie nos à mundi hujus fluctibus separat, nimirum necesse est ut rete plenum piscibus Petrus ad terram ducat. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit: quia sancta prædicationis voce stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit. Hoc egit verbis, hoc epistolis, hoc agit quotidie miraculorum signis. Quoties per eum ad amorem quietis æternæ convertimur, quoties à terrenarum rerum tumultibus separamur, quid aliud quàm missi intra rete fidei pisces ad litus trahimur? Sed cum rete magnis piscibus plenum dicitur, additur & quantis, scilicet centum quinquaginta tribus. A magno mysterio numerus non vacat, sed intentos vos tanti mysterij profunditas expectat. Neque enim quantitatis summam solemter Evangelista exprimeret, nisi hanc sacramento plenam esse iudicasset. Scitis namque quòd in veteri Testamento omnis operatio per Decalogi mandata præcipitur: in novo autem ejusdem operationis virtus per septiformem gratiam sancti Spiritus multiplicatis fidelibus datur. Quem Propheta denuncians, dicit: *Spiritus sapientie & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientie & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*. Sed ille in hoc Spiritu operationem percipit, qui fidem Trinitatis agnoscit, ut & Patrem & Filium & eundem Spiritum sanctum unius virtutis credat, unius substantiæ esse fateatur. Quia ergo septem quæ superius diximus, per novum Testamentum latius data sunt, decem verò per veteris præcepta, omnis nostra virtus & operatio per decem & septem potest plenè comprehendi. Ducamus ergo per trigonum decem & septem, & veniunt ad quinquaginta unum. Qui profectò numerus à magno mysterio non vacat: quia in Testamento veteri legitimus quòd annus quinquagesimus Jubileus vocari iussus est; in quo videlicet cunctus populus ab omni operatione quiesceret. Sed vera requies in unitate est. Dividi quippe unum non potest: ubi enim scissura divisionis est, vera requies non est. Ducamus ergo per trigonum quinquaginta & unum, & sunt centum quinquaginta tres. Quia ergo omnis nostra operatio in fide Trinitatis exhibita, ad requiem tendit, decem & septem ter ducimus, ut ad quinquaginta & unum venire debeamus. Et vera nostra requies tunc est, cum ipsam jam claritatem Trinitatis agnoscimus, quam in unitate divinitatis esse certum tenemus. Quinquaginta & unum ter ducimus, & electorum summam in superna patria quasi centum quinquaginta trium piscium numerum tenemus. Post resurrectionem ergo Domini missum rete dignum fuit ut tot pisces caperet, quot solummodo electos cives supernæ patriæ designarent. Inter hæc verò & hesternæ sancti Evangelij lectio, & hodierna nos admonet, ut vigilanter debeamus inspicere, cur Dominus & redemptor noster post resurrectionem suam piscem assum legitur

XXxx ij

Luc. 9. 8

Nicolaus ad cons. Bulg. c. 49. De pensit. dist. 5. c. Negotium.

Matth. 14.

* d. causarum

Luc. 24.

Ioan. 21. d

Isai. 11. d

Lev. 25. 6

Luc. 24. f

comedisse. Non enim vacat à mysterio, quod iteratur in facto. In hac etenim lectione panem & assum piscem: in illa verò quæ hesternò die lecta est, cum asso pisce etiam favum mellis comedit. Quid autem signare piscem assum credimus, nisi ipsum mediatorem Dei & hominum passum? Ipse enim latere dignatus in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostræ, & quasi tribulatione affatus est tempore passionis suæ. Sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione, favus mellis nobis extitit in resurrectione. Et qui in pisce asso figurari voluit tribulatione passionis suæ, in favo mellis utramque naturam exprimere voluit personæ suæ. Favus quippe mel in cera est: mel verò in cera, est divinitas in humanitate. Quod ab hac quoque lectione non discrepat: nam piscem comedit & panem. Qui enim assari ut piscis potuit ex humanitate, pane nos reficit ex divinitate, qui ait: *Ego sum panis vivus qui de celo descendi*. Assum ergo piscem comedit & panem, ut ipso suo cibo nobis ostenderet, quia & passionem ex nostra humanitate pertulit, & refectioem nostram ex sua divinitate procuravit. Quod si vigilanter inspicimus, nobis quoque qualiter ad imitandum congruat videmus. Sic enim sua Redemptor indicat, ut imitationis viam nobis sequentibus sternat. Ecce in cibo suo Dominus noster pisci asso conjungere favum voluit: quia videlicet illos in suo corpore ad æternam quietem suscipit, qui cum hic tribulationes pro Domino sentiunt, ab amore internæ dulcedinis non recedunt. Cum asso pisce favus sumitur; quia qui hic afflictionem pro veritate suscipiunt, illic dulcedine vera satiantur. Notandum quoque, quòd ultimum convivium Dominus cum septem discipulis habuisse describitur: Petrus namque & Thomas, Nathanaël, filij Zebedæi, & alij ex discipulis ejus duo, in eo fuisse memorantur. Cur cum septem discipulis ultimum convivium celebrat, nisi quòd eos tantummodo qui septiformi gratia sancti Spiritus pleni sunt, futuros secum in æterna refectioe denunciat? Septem quoque diebus omne hoc tempus evoluitur: & sepe septenario numero perfectio designatur. Illi ergo ultimo convivio de presentia veritatis epulantur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt; quos mundi hujus amor non ligat: quibus etiam utcumque per tentamenta obstitit, cæpta tamen eorum desideria non retundit. De hoc extremo convivio aliàs per Joannem dicitur: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Idcirco enim non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine dici convivium cœna est. Qui ergo finito presentis vitæ tempore ad refectioem supernæ contemplationis veniunt, non ad Agni prandium, sed ad cœnam vocantur. Quæ videlicet cœna hoc ultimo convivio exprimitur, cui septem discipuli adesse memorantur: quia illos, ut diximus, tunc interna refectio reparat, qui pleni nunc septiformi gratia in amore Spiritus anhelant. Hæc ergo vobiscum fratres agite, hujus spiritus repleti presentia desiderate. Quid vos sequi in futurum possit, ex presentia perpendite. Pensate si hoc spiritu pleni estis, nostis si ad illud convivium pervenire valeatis. Quisquis namque ille est quem nunc spiritus iste non reparat, profectò ab illa æterni convivij refectioe jejunit. Mementote quid de eodem spiritu Paulus dicat: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Quasi quidam titulus divinx possessionis est iste spiritus amoris. Nunquid nam spiritum Christi habet is, cujus mentem odia dissipant, elatio inflat, ira usque ad divisionem mentis exasperat, avaritia cruciat, luxuria enervat? Pensate quis sit spiritus Christi. Profectò ille, qui facit amicos & inimicos diligere, terrena despici, pro cælestibus æstuari, carnem propter vitia contemni, mentem à concupiscentiis frænari. Si ergo vultis

Greg. 15.
Moral. c. 9.
Joan. 6. c

Apo. 19. b

* ad æternam
refectioem

Rom. 8. b

A cognoscere * possessiones Dei, personam perpendite possessoris vestri. Ecce enim quod diximus, voce veridica Paulus clamat: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Ac si aperte dicat: Qui nunc Deo inhabitante non regitur, de divinx claritatis specie postmodum non letatur. Sed nos tamen, qui ad hæc quæ dicta sunt infirmamur, necdum culmen perfectionis attingimus, in via Dei quotidie sancti desiderij gressus ponamus. Consolatur nos veritas, quæ per Psalmistam dicit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur*. Non omnino erit nobis noxia nostra imperfectio, si in Dei itinere constituti, & ad transacta non respicimus, & ad ea quæ restant, transire festinamus. Nam qui imperfectorum desideria dignanter inflammat, hæc quandoque ad perfectionem roborat: per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Lectione sancti Evangelij secundum Joannem.

In illo tempore: Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo staret, inclinavit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem: & non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicit mihi ubi posuisti eum: & ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa, dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Jesus: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

HOMILIA XXV.

Habita ad populum in basilica sancti Joannis, quæ appellatur Constantiniana, Feria quinta Pasche.

Maria Magdalene, quæ fuerat in civitate peccatrix, amando veritatem, lavit lacrymis maculas criminis: & vox veritatis impletur, qua dicitur: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Quæ enim prius frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat. Nam postquam venit ad monumentum, ibique corpus Dominicum non invenit, sublatum credidit, atque discipulis nunciavit. Qui venientes viderunt, atque ita esse ut mulier dixerat, crediderunt. Et de eis protinus scriptum est: *Abierunt ergo discipuli ad semetipsos*. Ac deinde subiungitur: *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans*.] Quia in re pensandum est, hujus mulieris mentem quanta vis amoris accenderat,

* ad his per
lectionis

17. c.

Joan. 20. b